



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.  
Engelbertvs || Archiepiscopvs Co-||loniensis Princeps ||  
Elector, &c.**

**Gelenius, Aegidius**

**Coloniae Agrippinae, 1633**

Notatio ad Caput Decimum quartum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9728**

**A** SACERDOS quidam quindecim dies cæcus, voulit se visitaturum martyris ENGELBERTI sepulchrum, & in altari, quod est ad caput eius, Missam defunctorum celebraturum. Mox à votu nuncupato rediit lumen, & ille fecit, quod promiserat.

### Notatio ad Caput Decimum quartum.

**S**acerdotem hunc fuisse ordinis Præmonstratensis Religiosum, & in Nobili cœnobio Heinesbergensi, quod subest curæ Abbatis Knechstadensis, Præpositum vel Sacellatum egisse manuscrip. innuit: ita enim ait: *Sacerdos quidam de Heinesberg ordinis Premonstratensis. Quamuis, ut appareat, mendosa sit illa capitis inscriptio, de sacerdote de Hemersberg.*

**H**insbergum vero siue Hinsberga in antiquis Schedis Mons Caballinus nuncupatur. Viderunt enim, si nominis etymologiam spectes, ab equo & aggesto ab eodem monte deriuari; quamuis Streithagenus quasi Henrici Montem dictum suspicetur. Aliquibus etiam manuscriptis, Heinonis Mons appellatur. Oppidum est in extremitate terræ Iuliacensis, qua septentrioni obiicitur, & in confinio Geldriæ, duobus milliaribus Ruremunda dissitum; Dominorum gloria, Ciuium priuilegijs, aëris temperie & situs amœnitate nulli postponendum. Circuitu ad vnius circiter horæ spatium vrbis eius amplitudo clauditur. Deflectit leuiter ab oriente in septentrionem & planum in paludes, quod de Anxure Liuius ait, formam oblongam præbet.

Templum D. Gangolphi in cliuo exurgit, cui castrum in altero aduerso respondet; vtrumque altissima turri longè latere conspicuum. Castrum insigni Canonicorum Collegio ab Oda Heinsbergi Domina circa annum 1140. fundato condecoratur. Sub annum 1150. in oppidi umbilico. Gosvinius II. Heinsb. D. & Aleidis Palatina Sommersbergensis ipsius

psius vxor excitarunt nobilibus virginibus Præmonstraten-  
sis instituti monasterium, quod vsque ad Caroli V. tempora A  
mœnibus excludebatur: Cæterum Heinsbergum mœnibus,  
fossis, portis; ac propugnaculis à Duce Wilhelmo adeò mu-  
nitum fuit, ut vix ullum oppidum in Belgio ei comparati pos-  
sit. Atque hinc est, quod cùm bello Iuliacensi inter Carolum  
V. & Wilhelmum ad annum 1542. suscepto, à Cæsareanis  
13. Octobr. interceptum esset, integro anno à Wilhelmo  
Principenon potuerit oppugnatum recipi, sicut nec Suste-  
ren, licet mox Marcodurum & reliqualoca, à Cæsareis occu-  
pata, etiam asperrima hyeme recuperarentur. Ipsum oppi-  
dum cum subiectis Gangelto, Milla, ac Fuchto, Theoderi-  
cus III. cum pro Comitatu Loffensi bellum gereret, pecu-  
niæ indigus abalienauit, & acceptis XXIV. millibus vete-  
rum scutorum, Eduardo Geldriæ Duci in pignus opposuit.

### Caput Decimum quintum.

*De muliere quæ lumen oculorum annis viginti perditum recepit.*

Cæca reci- **M**ULIER in castro Nideckensi, viginti annis nihil viderat. Vbi didi-  
pit visum. **E**ngelbertum coruscare miraculis: Ego, inquit, ibo ad noui  
martyris monumentum, ut beneficia, quæ confert alijs, etiam mihi im-  
pendat. Venit ergo Coloniam, orat ad sepulchrum Episcopi, aperte  
que oculis videt lumé cœli, quæ tot annis perpetuas senserat tenebras.

### Notatio ad Caput Decimum quintum. **D**

**I**N manuscript. sic narratur: *Est quædam mulier in castro quod  
Nidecken vocatur, quæ cæca viginti annis fuerat: Hæc dum die  
quadam de miraculis Episcopi Engelberti audiret, spere recuperan-  
di luminis Coloniam se duci fecit dicens; Ego ibo visitare sepulchrum  
noui Martyris, ut gratiam, quam alius impendit, etiam mihi imperti-  
ri dignetur: Quæcum Coloniam venisset & coram sepulchro Episcopi  
orasset*